6
63
34-5-C-12-

TVMVLTVARIA DISQVISITIO FRANCISCI MARIÆ FLORENTINII

NOBILIS LVCENSIS


De antiquo vſu fermentati Panis, & Azymi

PRO

SS.MO EVCHARISTIÆ SACRIFICIO:

A MARIO FLORENTINIO AVTHORIS FILIO

Vulgata.





LVCAE, Apud Hiacynthum Pacium. M.DC.LXXX.
Superiorum Licentia.

64



EM.^{MO} ET REV.^{MO} PRINCIPI
IVLIO
CARDINALI SPINVLÆ
EPISCOPO LVCENSI, ET COMITI.



Quiſsimum erat, Princeps Eminentiſsime, breuem hanc diſſertationem inclyto nomini tuo inſcribi, quæ alterius olim doctiſsimi Purpurati iuſſu adumbrata fuerat. Eóque magis tibi deberi cenſui, quòd

ſacram, tuoque excelſo muneri, ac profundę eruditioni non incongruentem materiam complectitur. Quidquid autem illi ex Authoris ingenio obſcuritatis acceſsit, ſplendidiſsimum tuarum virtutum lumen longè, latèque per exteras gentes diffuſum, adeò illuſtraturum arbitror, vt in eamdem Viros doctos benignè oculos conuerſuros non diffidam. Tanta ſiquidem eſt nominis tui apud omnes exiſtimatio, & authoritas, tanta SPINVLÆ Proſapiæ, fœcundiſsimæ matris heroum claritas, vt cunctos in admirationem traducant, & rapiant. Quis enim in CARDINALE IVLIO SPINVLA, atauis edito Principibus, morum ſuauitatem, & candorem, vitæ integritatem, & innocentiam non veneretur? Quis laborum tolerantiam, rerum geſtarum magnitudinem non obſtupeſcat? Quis non admiretur eximiam doctrinam, inſignem pietatem, incorruptam iuſtitiam?

Quis?

65

Quis? plura dicerem, nisi singularis modestia tua, CARDINALIS Eminentissime, laudes ægrè ferens, silentium indiceret; easdem igitur dum prætermittere cogor, exiguum opusculum istud validissimo tuo patrocinio committere audeo. Patere clarissimis auspicijs tuis in lucem prodire, & veluti humillimi cultus mei, & singularis obseruantiæ monumentum ne dedigneris excipere. Vale Vrbis, & Orbis decus; Te Deus incolumem, & felicem ad summos honores diutissimè seruet. Lucæ 28. Februarij 1680.

EM.TIÆ TVÆ REV.MÆ

Humillimus, & Obstrictissimus Seruus

Marius Florentinius.

LECTORI.



Pistolarem hanc disquisitionem, non ad publicam lucem raptim conscripserat Parens meus, sed vt humanissimis tantum CARDINALIS BONAE obtemperaret mandatis. Probauerat illam, dum viueret, Sapientissimus æquè, ac Eminentissimus Dominus, vt ex illius infra apposita Epistola patebit, & ad explananda quædam veterum Pontificum, Melchiadis, Siricij, & Innocentij decreta summa eumdem benignitate compulerat. Sed dum tanti Principis petitionibus iterùm obsequi aggrediebatur dilectissimus genitor, ineluctabili morbo pressus, mortales deponens exuuias, placidissimè ad æternam vitam migrauit. Pridie tamen quam in lecto decumberet, prima difficillimæ responsionis lineamenta duxerat, quæ huic dissertatiunculæ addere non puduit, vt doctiorum saltem ad antiquos, sacrosque Ritus perscrutandos excitetur ingenium. In tenebris vtique minima hæc omnia, & impolita reliquissem: at cum pluries ab aliquibus doctis, præclarisque viris expostulata fuerint, & nuper quoq. à celeberrimo, eruditissimoq. Viro Abbate Stephano Gradio, qualiacunq. typis vulgare decreui, vt amanuensis saltem in excribendo laboribus parcerem. Si arridebunt, grauioribus alijs vltimam manum pro tenuitatis meæ viribus, porrigere non grauabor. Sin minus, breuis saltem tibi legendi molestia erit, & laboriosa mihi scribendi deerit occasio. Salue.

A





Pharisæorum fermento, hoc est hypocrisi, non à fermentati panis alimento cauendum, summa quidem veritas docuit; & per Apostolum misticè nobis epulandum in azymis sinceritatis, & veritatis, non ita præcepit, vt cuiuscumque fermenti vsum damnauerit, sed veteris tantùm; quasi per nouum, cui Regnum Cœlorum assimilauit, noua euaderemus conspersio, & per Euangelicam legem, in nobis sincerioris azymi candidatis, recens candidioris doctrinæ fermentatio succederet. Azymum quidem, panem afflictionis vocatum, per septem dies Hebræi iubebantur comedere, vt prodigiosæ ab Aegypto libertatis memores, tumultuario, festinatoque alimento, tàm panis, quàm Agni, Pascha suum, cum gratiarum actione recolerent. Hoc primo Azymorum die, obseruata lege plenè cibis in legalibus, Christvm Dominum Augustissimum sui Corporis Sacramentum in-

ftituisse, Euangelica narrat Historia, & latina docet Ecclesia, quæ, & si à septingentis saltem annis Diuinum Institutorem imitata, incruentum idem Sacrificium, in Azymis tantùm obtulisse videatur, non tamen fermentatum panem iuxta Græcorum traditionem, & vsum ita improbauit, vt ineptam tanti Sacramenti materiam esse, vnquam declarauerit; quinimò ijsdem sine schismate Græcis, & permiserit olim, & permittat adhuc; id tantùm iustissimis rationibus, siuè antiquæ consuetudinis, siuè Concilij Florentini præcipientis decreto, Latinis Sacerdotibus interdicens. An verò priscis, & inter Martyrum tormenta, vagientis Ecclesiæ sæculis, ad Eucharisticum panem, fidelibus ministrandum, Occidentalis Ecclesia, vel zymum tantùm, vel Azymum consecrauerit, non admodum constare videbatur, donec Eminentissimus, ac æquè Sapientissimus Dominus meus Cardinalis Bona in doctissimo liturgicarum rerum opere, ita vsum fermentati panis reuocauit ad lucem, ita neruosis rationibus, & antiquorum Patrum authoritatibus muniuit, vt assensum illi negare, refractarij potiùs animi peruicacia, quàm dubitandi licentia nuncupari mereatur. Quid verò mihi ineluctabili iussione ad scribendum prouocato, in difficillima controuersia succurrere potest, quod supervacaneum omninò non sit, vel in meridiano Solè, veluti vliginosæ quædam

telluris

 67

telluris nebula, tenebras magis suffundere, quàm valeat remouere? Parebo tamen vtcunque, sed, vt arridere scio, in iisdem azymis sinceritatis, & veritatis.

Pręcipuus arcanæ, & eruditæ controuersiæ status in eo versari videtur, an priscis latinæ Ecclesiæ sæculis, Dominici Corporis Sacramentum in communi pane, siue fermentato, siue azymo indiscriminatim confici consueuerit, & qualis præcipuè latinis esset panis vulgaris, & vsitatus.

Vtrumq. fermentatum nimirum, & azymum Romanis, ac reliquis latinis, vulgò in vsu fuisse, ex Cornelio Celso, qui Claudio imperante scripsit, videtur posse conuinci: libro enim 2. de re Medica cap. 4., dum communium alimentorum qualitates dijudicat, inter ea, quę stomacho aptissima credidit, *panis sine fermento* illi fuit: sequenti verò capite, inter ea, quæ stomacho aliena putauit, *panis fermentatus*, recensetur; & cap 28. ratio additur, quoniam scilicet is faciiè putrescat. *Facilè autem intus corrumpuntur panis fermentatus, & quisquis alius, quàm ex tritico.* Cum autem Celsus hæc vniuersim, & cum reliquis apud Romanos communioribus, siuè alimentis, siuè obsonijs, ad examen reuocet, & inter ea, jàm panem cum fermento, quàm infermentatum proponat, alterutrum in ratione victus, tanquam communem cibum reposuisse apparet. Neque ab eiusdem sen-

tentia

tentia longè abijt Archigenes Hadriani Imperatoris archiatrus, ſtomacho quippe malè affectis, vt plerunq. ſunt nobiliores, & qui delicatè, & lautè viuunt, panem, aut nihil, aut vix fermentatum ita laudauit apud Galenum, eiuſq. interpretem lib 8. de Comp. Med. ſec. locos cap. 4. *Panis ſit ſummè tantùm fermentatus, aut penitus abſque fermento præparatus*; è contra Galenus ipſe lib. 1. de Antidotis. cap. 3. dum ſelectum panem ad paſtillos ex viperis conficiendos præcipit, ita benè fermentatum laudat. *Panis ſit,* inquit, *ex puriſsima farina, quæ præcipuè, & benè fermentatus ſit, & in clibano, & non in furno coctus.* Talem autem non fuiſſe vulgatiorem panem, facilè concederem, ſed potiùs nobiliorem, & in ſupremò genere ab eodem Galeno enumeratum primo de alimentorum facultatibus cap. 2., quo loco ex profeſſo panis ſpecies, & qualitates expoſuit; Has autem ibi pro re noſtra, & latinorum more per interpretem ita recenſuit. *Et apud Romanos, vt & apud alios propemodum omnes, quibus ipſi imperant, panis quidem puriſsimus ſilignitis, ideſt ſiligineus: qui autem huic eſt proximus, ſemidalitis, ideſt ſimilaceus nuncupatur. Verùm ſemidalis quidem Græcum nomen eſt, & antiquum; ſiliginis verò; neque Græcum eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere.* Pergit deindè tertio loco medium panem enumerare, quẽ etiam ſyncomiſtum vocat, & autopyrum, ex farina nimirum ſecretionis experte, & furfure à farina non

ſeparato.

separato. Quartum genus illi est furfuraceum, cuius infima species, ignobile prorsus erat, & plebeium alimentum: sed quia hæc panis genera à supremo descendentia vsque ad sordidum Plauti, & acerosum Nonij Marcelli, multas etiam minutiores differentias exhibebant, easdem Plinius eleganter indicatas, his verbis inclusit lib 19. cap. 4. *viuere nempè alios pane procerum, alios vulgi, tot generibus vsq. ad infimam plebem descendente annona*. Hic autem à numeroso panum censu, penes varia nationum nomina, parandi, & coquendi modum supersedeo, quòd rem nostram transcendat, & apud Athenæum inueniri facilè possit. Vulgarem potius, & communiorem panem inquiram. Primæ notæ, à Galeno, alijsque scriptoribus assertus, siue siligineus, nobilium, & lautiorum erat: vndè illud Satyrici Iuuenalis decantatur;

Sed tener, & niueus, molliq siligine factus
Seruatur Domino.

Hunc pro vulgari, communique pane habitum nemo affirmabit, neque admodum à primo discessisse putarem, qui secundæ notæ, siue similaceus dicebatur, quòd gregalis non esset, sed adhuc nobilium, & procerum. Dubitaui aliquandò, an quod scribit Suetonius in Augusto tantum Principem pane secundario vsum, esset intelligendum de similaceo, seu secundi ordinis apud Galenum. At dum Suetonius præmittit, Augustum fuisse *cibi vulgaris*

ferè

ferè, ac secundarium panem, & pisciculos minutos maximè appetiuisse, facilè in eàm sententiam deueni, panem vulgarem esse, & ad tertiam saltem autopyri differētiam descendere. Lampridius in panem mundum, & sequentem omnem, Alexandri Seueri diurnum conuiuium diuisit, hoc est *panis mundi pondo triginta, panis sequentis, ad donandum, pondo quinquaginta*; panem verò sequentem, eumdem cum secundario putarem, quem Horatius plebeium ita pingit, dum vatem, durè, & parcè viuentem sugillat Epist.1. lib.1.

Viuis siliquis, & pane secundo.

Et apertiùs Plinius lib.18. cap.9. *Praeterea floris semodium, & cibarij, quod secundarium vocant, sextarios quatuor.* Nil autem latinis notius, quàm cibarium panem, esse vilem, ac plebeium. Alibī tamen secundarium à cibario Plinius distinxit, fortè quià secundarius nonnihil cibarium excelleret, *secundarij panis quinas selibras, totidem cibarij.* Vulgarē igitur, & communē populi panem, secundarium fuisse, vix dubitarem, eumque inter mundum, & sordidum, qualis facilè erat, quem gradarium aliqui dicunt, & ad gradus templi Genij, siue gradus Tribunalis pro congiario populo distribuebatur, vt Turnebus olim, & nuper Spanhemius animaduerterunt. Hunc, vt plurimū, fuisse fermentatum non negârem, quia Plinius, dum panis virtutes in medicina enumerat, secundarium fermentatum esse, omninò videtur asserere lib.

22.

22. cap. poſtremo: *ad omnia autem hæc, fermentatus, qui vocatur autopyrus, vtilior:* & quià Galenus panum genera enumerans, omnia fermento parata, vel parari debere, ex eo præſertim ſupponit, quòd azymum panem, ruſticorum, ac robuſtorum præcipuum fuiſſe alimentum docuit, & foſſoribus, & meſſoribus proprium, *ab his namque faciliùs confici videas panes azymos*; quod à Virgilio confirmatur, ſeu quiſquis alius author Moreti fuit; ruſticum enim ſuum inducit manifeſtè, azymum, & ſine fermento panem parantem. Galenus idem proindè Athletis, & his, qui pleniori erant corporis habitu, panem laudauit, *qui non multum haberet fermenti*; è contra verò docuit deberi *priuato, & ſeni, qui belliſsimè quidem in clibano ſit aſſatus, fermenti autem habeat multum*, vniuerſim azymi vſum ita explodens. *Porrò qui fermento omninò caret, nemini prorſus eſt accommodus.* Conſimilem igitur benè fermentatum panem, nobilioribus, & illis, qui curam valetudinis amabant, vſitatum fuiſſe, vix dubitarem, non tamen indè inferrem, ità communem Ciuium, & populi in Vrbibus fuiſſe, quin & azymis non veſcerentur, cum pauci ferè ſint, qui medicis præceptis alligari velint, præcipuè, ſi vetuſtioribus Chriſtianiſmi ſæculis opinio inualuiſſet, *vt ineſſet ſuauitas aliqua plenior azymis panibus, quos pleriq. ſibi ſalubriores, & ſapidiores arbitrantur*, vt de ætate ſua teſtatur Humbertus Cardinalis con-

trà Græcorum calumnias, qui initio vndecimi sæculi vixit. Azymi panis erat quidem etiam latinis vsus, ac præcipuè in placentis; nec panis subcinericius ita infrequens erat, vt aliquando plerisq. eo vesci non contingeret. Vndè Galenus subcinericios, omnium esse deterrimos pronunciauit ad calcem laudati capitis; non verò Hippocrates, qui lib. 2. de victus ratione, Foesio interprete, inquit; *Furnacei panes magis nutriunt, quam qui foco, aut veru assati sunt, quòd minus ab igne exurantur: testuacei verò, & subcinericij, siccissimi*; Non protinus autem ac aliquid est siccissimum, euadit deterrimum; sed plura profectò à Medicis alimenta damnantur, quorum tamen erat, & remanet frequentissimus vsus. Subcinericias placentas ex tempore parabant antiqui, siue ad gulæ irritamenta de puriori, seu siliginea farina, & non raro ad hospitis aduentum, vt sapidiorem, & elegantiorem panem concinnarent. Vix enim credibile est, Abrahamum diuitem Patriarcham Cœlestibus tribus aduenis subcinericium panem, siue extemporalem, & subitaneum parauisse, quasi communi pane careret, nisi ex selectiori farina, ad officiosiùs hospitalitatem exercendam, elegantiorem, ac recentiorem esse offerendum, existimauerit. Ita Loth, & Gedeon, azymos panes hospitibus Angelis obtulerunt, vel, vt alij ex Hebræo fonte legunt, infermentatas placentas. Iudæis quidem adeò familiaris erat azymus, vt infermen-

70

fermentatum panem, Iudaicum vocare Tacitus non dubitauerit; Talis quidem Hæbræis à lege præcipiebatur non ad delicias, sed ad Aegyptiacæ afflictionis memoriam, idq. per septem dies tanta legis seueritate, vt, si, vel in domibus fermentatum haberent, pœna mortis, tàm aduenis, quàm indigenis comminaretur. Ritum, quo reliquiæ fermentatæ comburebantur, ità refert Suidas. Ab hora nempè sexta diei decimi quarti, mensis primi, ad clangorem tubarum panes zymitæ, qui Iudæis reliqui erant, concremabantur: quod adnotauit etiam damnatus Stukius antiquit. Conuiu. lib. 1. cap 27. Sed hæc extra vsum Latinorum, non magni facimus; erant etiam apud Latinos summæ dignitatis viri, qui, vel ad frugalitatem, vel militarem disciplinam, azymis, & subcinericijs panibus vterentur. Locuples exemplum Herodianus suppeditat, qui latinam sui temporis historiam græcè contexuit in Antonino Caracalla, de quo, Politiano interprete, lib. 4. scribit: *panem etiam temerè factum comesse: quippè tritico, quantum satis vni foret, sua manu molito, massaq. inde facta, atq. in carbonibus decocta, vesci solitus*

Neque dubiũ est, quin panis temerè factus, & ita ab interprete vocatus in Græca ditione, αὐτοσχέδιον extemporalem, & tumultuarium, hoc est azymum, non significet, quòd Græcis ità vocari consueuerit; id etiam docente Theodoreto, qui azymum panem vocauit

cauit extemporalem quæst.23. in Exodum. *Cum enim panis azymus, idest minimè fermentatus, sit extemporalis, fermentatus autem habeat aliquid fermenti veteris, prohibet lex, ne quid Aegyptiacæ doctrinæ rebus Diuinis admisceatur*. Et vbi Ioannes Picus in operibus Theodoreti, vertit panem extemporalem, Lippomanus in Catena Exodi legit; *Quia azymus panis rudis, ac simplex est*, vtpotè qui facilè parabilis, & minus operosè, ex quacunque farina compingatur. Hinc Diui Gregorij sæculo, Monachi subcinericio pane (nescio an quotidiano vsu) vescebantur, vt constat ex Martyrij Monachi prodigio lib.1. Dialogor. cap.2. Cum enim fratres illius panes subcinericios fecissent, obliti in eis Crucis signum imprimere, *Sicuti in hac Prouincia* (addit D.Gregorius) *crudi panes signo signari solent, vt per quadras quatuor partiti videantur*; doluit Martyrius, & digito contrà prunas, Crucem signans, panem etiam sine contactu, & insigni fragore signauit. Hac eadem forma panes quadrifariam notare, gentilibus etiam antiquis mos fuit, & antè quam Christicolæ salutare signum venerarentur. Nec difficile est credere in Crucis formam obsignatas, vel placentas, vel panes, maiori deuotione à priscis fidelibus oblationes suas in altaribus poni, quemadmodum in sacrarum epularum antiquissimis imaginibus, adhuc cruces panibus impressas videre licet apud Aringhium in Roma subterranea. Quinimò facilè est conijcere panes

obla-

BIBLIOTECA ... EVANGEL...